

Version latine n°9 : on achève bien les empereurs

En 268, à la fin d'un règne pour le moins troublé, l'empereur Gallien assiège Milan, où s'est réfugié l'usurpateur Auréolus...

Quam urbem dum machinationibus omnis generis oppugnat, ab suis interiit. Quippe Aureolus, ubi soluendi obsidii spem inanem uidet, ducum Gallieni tribunorumque nomina, quasi destinata ab eo ad necem, astu composuit litterasque e muro, quam occultissime potuit, abiecit ; quae, forte a memoratis repertae, metum suspicionemque iniecere mandati exitii, uerum eas effluxisse incuria ministrorum. Qua causa, Aureliani¹ consilio, cuius gratia in exercitu atque honos praestabant, simulata prurptione hostium, nullis, uti re trepida ac repentina solet, tectum stipatoribus, tabernaculo educunt nocte intempesta ; teloque traicitur, cuiusnam per tenebras incertum. Ita auctoris necis errore an quia bono publico acciderat, inulta caedes fuit. Quancumque eo prolapsi mores sunt, uti suo quam rei publicae magisque potentiae quam gloriae studio plures agant. Hinc quoque rerum uis ac nominum corrupta, dum plerumque potior flagitio, ubi armis superauerit, tyrannidem amotam uocat damno publico oppressos. Quin etiam aliquanti pari libidine in caelestium numerum referuntur, aegre exsequiis digni. Quis ni fides gestarum rerum obstitisset, quae neque honestos praemiis memoriae frustrari sinit, neque improbis aeternam illustremque famam procedere, nequiquam peteretur uirtus, cum uerum illud atque unicum decus pessimo cuique gratia tribueretur demptum impie bonis. Denique Gallienum subacti a Claudio² patres, quod eius arbitrio imperium cepisset, Diuum dixere. Nam, cum profluuium sanguinis uulnere tam graui mortem sibi adesse intelligeret, insignia imperii ad Claudium destinauerat, honore tribunatus Ticini³ retinentem praesidiariam manum. Quod sane extortum, cum neque Gallieni flagitia, dum urbes erunt, occultari queant, et quisque pessimus erit par similisque semper ipsi habebitur. Adeo principes atque optimi mortalium, uitae decore quam quaesitis nominibus atque compositis, quantum coniciatur, caelum adeunt seu fama hominum dei celebrantur modo. At senatus, comperto tali exitio, satellites propinquosque per scalas Gemonias praeceps agendos decreuit, patronoque fisci in curiam perducto effossos oculos pendisse satis constat, cum irruens uulgus pari clamore Terram matrem, deos quoque inferos precaretur, sedes impias uti Gallieno darent.

Aurelius Victor

¹ Le futur empereur Aurélien, qui fut un général et un proche de Gallien.

² Claude II le Gothique, maître de cavalerie puis empereur à la mort de Gallien.

³ Ticinum = l'actuelle Pavie.